





Mosheim s: Joh: L. aur: s diff: de Circles in  
Christi, Helmst. 1740

pfaffij / Christoph: Matth: / diff:  
de Cœlo Beatorum, Tübinge  
1722

Reudenij s: Ambro: / theses de  
Symbolo Apostolicu, jene  
1589

diff: de Deo ac Tribus  
personis, jene 1589.

DE  
LEGE PER ANGELOS  
DISPOSITA

AD  
ACTOR. VII. v. 53.

PRAESIDE  
VIRO MAGNIFICO  
**JONA CONR. SCHRAMMIO**  
SAC. S. THEOL. D. EJVSD. PROF. P. ORD. FACULT. SVÆ SEN.  
ET H. T. VICERECTORE

PATRONO SVO

ÆTATEM COLENDO

D. XII. APR. A. O. R. MDCCXXXIX.

IN JVLEO MAJORI.

DISPUTAT

RESPONSVRS AVCTOR

**JOHANN CONRAD HEISE**

BISCHHVSA GOTTING. S. S. TH. ST.

HELMSTADII TYPIS JOH. DRIMBORN.







### §. I.

**S**I quædam sacræ scripturæ oracula dantur, quæ suis laborant & difficultatibus & obscuritatibus, nondum satis extricatis: merito quoque illis adcentendum esse, effatum STEPHANI Actor. VII. 53.  
ubi de lege per Angelos disposita, inquit; "Οἱ νεῖς  
τὸν νόμον, ἐις διατάγας ἀγγέλων, οὐδὲ ἐφυλάξατε:  
Qui accepistis legem, ad ordinationem angelorum οὐ non cu-  
stodivisti; nemo reputans, quantopere interpretes hoc  
dictum explicaturi diffideant, facile inficias ibit. Alii e-  
nim de voce τῶν ἀγγέλων litigant, quorum altera pars, eam  
vult proprie, altera autem appellative, sumi. Alii autem,  
verba ἐις διατάγας, controversiis suis ventilant: quorum  
diversæ sententiæ, ita comparatae sunt, ut vix adpareat,  
cui potissimum suffragandum sit. Etenim, cum probe  
perspiciant interpretes, omnem hujus dicti difficultatem  
inde pendere, quod, in illis Exodi capitibus, quæ, pro-  
mulgationem legis recenserent, semper dicatur, ipsum Je-  
hovam, cum Mose loquutum esse, eidemque omnes le-  
ges recitasse, a STEPHANO autem dicatur, Judæos le-  
gem accepisse ἐις διατάγας ἀγγέλων: eo quoque potissimum  
adnisi sunt, ut, talem sensum, ex his Protomartyris ver-  
bis eruerent, qui recensioni Mosis maxime congruus esset.

A 2

Hinc

Hinc quidem, omnes consentiunt, STEPHANI verbâ de promulgatione legis agere: dissentient autem in eo, quod, alii legem, ab ipso DEO, inter angelos, seu præsentibus angelis; alii autem, ab angelo quodam, sive creato, sive increato, publicatam esse arbitrentur. Cum autem omnes illas sententias, maximis adhuc circumseptas difficultatibus deprehendamus: dictum hoc, disquisitioni nostræ, subjiciendum esse duximus. Vbi sollicitam dabimus operam, ut, quantum fieri potest, dubiis illud eripiamus: & secundum analogiam, dictorum parallelorum, interpretemur. Toti quidem pertractationi, multo clarior lux adfunderetur, si præliminariter demonstrare possemus; non de promulgatione, sed ordinatione legis, hæc, viri sancti, verba, esse accipienda: verum, cum idonea fundamenta, hoc, extra dubitationis aleam ponentia, ex ipsa dicti exegesi, peti debeant; omnia prius sigillatim erunt expendenda, ut exinde adpareat, quis, hujus dicti, genuinus sit sensus. Si enim evicerimus, verba illa *εἰς διατάγας ἀγγέλων*, non posse verti, *inter disposita beneque collocata angelorum agmina*: per se inde conficitur: de legis commendatione iterata, Divino viro sermonem esse.

## §. II.

Primo itaque loco, de re ipsa, de qua Protomartyr loquitur, quam *subjecti* nomine communiter insignire solent, ut agamus, ordo requirit. Hæc autem est νόμος seu *lex*. *Lex* secundum notissimam definitionem, *est voluntas superioris, mandans aliquid, aut prohibens, cum via coactiva*: cuius veritas, ex ipsa τῇ νόμῳ etymologia, satis adparet. Descendit enim ἀπὸ τῇ νόμῳ, inde νόμος est id, quod, suum cuique tribuit: dum scilicet actiones hominum moderatur, & distribuit, docens, quid quemvis, in suo



suo statu agere, aut omittere deceat. Quicunque autem, cuilibet, suas actiones vult tribuere, seu determinare, illum oportet, voluntatem suam quoque declarare: alias enim subditi nescirent, quid aut agere, aut omittere debent, ideoque omnis *lex*, est *voluntas*, seu declarat *voluntatem* legislatoris. Quicunque præterea, aliis, actiones suas vult tribuere: illum oportet superiorem quoque esse, & jus habere, in eos, quorum actiones vult determinare. Hoc enim nisi haberet, obligatio nulla, erga voluntatem illam quam declaravit, oriaretur: si itaque lex actiones hominum determinat; *voluntas superioris* esse debet. Quoniam autem is, qui voluntatem suam, aliis declarare vult, id aut consulendo, aut mandando, necesse est faciat, ad distribuendas autem cuilibet actiones, necessario requiritur, per mandatum voluntatem declarari, ut quivis cognoscat, seriam esse sancientis voluntatem, & idcirco majori operâ admittatur, morem gerere: adparet quoque, quod lex debeat esse, *voluntas superioris mandans aliquid, aut prohibens*; quibus *vis coactiva* adcedere debet, aut committiendo refractariis pœnas, aut pollicitando morigeris quævis præmia, hæc enim vis nisi adcederet, quivis facile ab actionibus, in lege sibi determinatis recederet. Ex quibus haud obscure adparet, veram & adæquatam esse, hanc *legis* definitionem. Est autem legis vocabulum πολύσημον, quod sumitur diversissimis in S. Scriptura modis. Sensu latissimo, legis voce sola quoque evangelii doctrina, exclusa a lege per Mosen lata, venire solet. Ps. CXIX. v. 92. col. v. 50, siquidem lex, Davidi, nullum, in ærumnis suis, solatium, suppeditare poterat, Deut. XXVII, 26. Illa autem Evangelii doctrina תורת vocatur, sine dubio, ideo, quod, Judæos V. T. de Christo, ejus persona, & fatis *præmonebat*. Constat enim, quod vox נָהַי in conjugatione Hiph: quo-



que significet, *præmonere*, uti ex Genes. XLVI, 28. adparet. Sensu lato, *lex* denotat, totum verbum Divinum, ut in V. T. revelatum est, sive de cætero sit lex Mosaica, sive, vaticinia de Christo habeat annexa, sive historias, &c. Jos. I, 8. Psal. I, 2. quod *תורה* dicitur ideo, quod homines de *DEI* voluntate erga nos, nostroque officio, erga *DEVM*, & proximum, quoquo modo docet & erudit. Strictiori autem significatu quo Oeconomiam V. Testamenti vocare solemus, *legis* voce depingitur, *lex Mosaica*, quatenus in monte Sina promulgata est; præscindendo eam, ab omnibus cum doctrina evangelii, historiis, itemque aliis dogmatibus commercio. Deut. XXVII, 26. Rom. III, 20. Et hoc modo *lex*, si sumatur: *Lex Divina* nihil aliud est, quam, *voluntas DEI tanquam superioris, mandans aliquid, & prohibens, cum vi coactiva.* In lege enim, *DEVS*, *voluntatem* suam declaravit, & docuit, partim quid ab omnibus hominibus, partim a quibusdam, in certis relationibus spe etatis, velit observari. *Quæ voluntas, voluntas est superioris* eo quod *DEVS Rex* est cœli & terræ. Præterea hæc *voluntas est mandatoria*, aliud namque *mandavit*, aliud *prohibuit*, cui *vis coactiva*, seu *communatio pœnarum*, & *promissio præmiorum*, combinata est: quæ singula, ex ipsa lege, satis perspicue cognoscuntur.

### §. III.

Priori sensu, legis vocabulum a *STEPHANO* non sumitur. Nec enim omnis evangelii doctrina, nec reliqua sacri codicis scripta, neque ab angelis, neque inter angelos, patefacta sunt. *Quamobrem* media, vel ultima ῥῆ νόμος significatio h.l. obtinet. *Quamvis* enim ex v.præced. 52. colligi posset, de omnibus scriptis V. T. & legalibus, & evangelicis, viro divino sermonem esse, dum in eo



eo Judæos reprehendit, quod tam injurii in prophetas fuerint: tamen contextus docet, nostrum v. 53. conclusio-  
nem, seu finem eorum esse, quæ v. 38. pertractare cœpe-  
rat, ubi meminerat, Moysi quidem, legem ab ipso D E O in  
monte fuisse traditam, Judæos autem ipsi noluisse ullâ ra-  
tione, audientes esse; quod, exemplis nefandæ eorum in-  
obedientiæ a v. 39. ad 52. demonstrat, innuens, quod &  
maximis sceleribus contra legem, effusione scil. sanguinis  
prophetarum, sese contaminaverint. Totam itaque de  
lege orationem v. 53. concludit, & omnia, quæ de præva-  
ricatione Judæorum, dicere adhuc potuisset, huic *Epiphonemati* includit, quasi diceret: ipsi ex hac tenus dictis per-  
spicitis, vos, legem illam in monte Sina promulgatam v.  
38. accepisse quidem, ad commendationem angelorum,  
nulla autem ratione observasse. Eam itaque legem, de  
qua v. 38. differit, eam quoque in nostro dicto vult intel-  
ligi. Ibi autem, de lege in monte Sina patefacta, sermo-  
cinatur: ergo illa quoque hoc loco necessario erit sub-  
intelligenda. Hujus adferti veritatem, si quis pluribus ve-  
lit demonstratam, legat ni grave fuerit Cap. III. Epist. ad  
Galat. ubi, cum maximus gentium doctor, legem, & evan-  
gelium, seu, œconomiam Veteris ac Novi Fœderis, quam  
solertissime distinxisset, demonstrans, ex lege, nullam  
in homines redundare salutem, v. 10-12 ideoque Chri-  
stum, a legis maledicto eos liberasse v. 13. eo fini ut pro-  
missio Abrahamo facta impleatur & per ejus semem be-  
nedictio ad omnes homines perveniret, v. 14-16. quæ pro-  
missio, longe ante legis promulgationem data sit v. 17.  
ita ut per legem promissiones evangelicæ tolli nequeant:  
sed ipsis, tanquam fœderi a Deo rite confirmato, &  
antiquissimo, valorem suum irritum semper manere.  
**Cum autem contradictionem quandam involvere videa-**  
tur,



tur, fœdus gratiæ, tanquam fœdus antiquissimum semper manere, DEV M tamen post aliquot secula, aliud fœdus magna cum auctoritate promulgâsse, & ad ejus strictam observationem, omnes sub, comminatione diri maledicti vocasse : Deut. XXVII. v. 26. ipse Apostolus, omnium animis quæstionem movet, *quid igitur lex?* seu cui fini, lex ergo lata est ? lex scil. illa, quæ nullum cum doctrina evangelii habet commercium, lex illa, quæ cccccxxx. annis, post promissionem Abrahamo factam v. 17. præterlapsis proclamata est (quibus haud obscure indicat, sibi, de lege Mosaica sermonem esse) respondendo ad hanc quæstionem, dicit: eam *transgressionum gratia additam esse*, ut illis prohibeatur, earumque magnitudo exinde cognoscatur. Tandem dicit, hanc legem esse per Angelos dispositam. Si vero PAVLVS, legem Mosaicam per Angelos dicit esse dispositam, etiam STEPHANVM, hanc legem intellectam voluisse, fas est credamus; cum PAVLVS verborum ejus optimus sit interpres.

#### § IV

Hæc idcirco tot verbis monuimus, ne quis sibi persuadeat, Angelos, dispositioni legis, etiam dogmata quædam gratiæ, tanquam essentialia, immiscuisse : & ex inde postmodum colligat, legem non posse ab Angelis esse conceptam, quoniam doctrinas quasdam Evangelicas adjunctas haberet, utpote quæ ab Angelis non potuerint concipi, sed ex gremio patris Joh. I, v. 17. 18. a Christo sint prolatæ. Siquidem, non sine veri specie, urgeri posset, cum ipsa lege, etiam doctrinas quasdam evangelicas Moysi innotuisse, eo quod Exod. XXXIV, 5. seqq. dicitur, *Dominum, patrem scil. coram Mose prædicasse de nomine Domini filii scil. sui Messiæ.* Quidquid autem de Messia agit,



agit, sine dubio evangelii nomen meretur, quoniam itaque pater, de Messia sermones instituit : tuto colligi posset, non modo legem stricte sic dictam , sed etiam promissiones quasdam evangelicas, & notitiam de Messia ab Angelis esse patefactas. Verum sine multo negotio adparet, hanc objectionem, præter veri speciem, nihil præse ferre. Nam, hæc de Messia concio, habita est, cum Moses secunda vice montem adscenderet, tum autem, leges, quas Deus ferre constituerat, jam promulgatae erant: nec ibi, novas leges Moses accepit, sed tantum decalogus, tabulis, in locum tabularum confractarum, (quibus decem præcepta, ipso D E I digito Exod. XXXI, 18. incisa erant) surrogatis, a Mose iussu D E I, denuo inscriptus est, Exod. XXXIV, 28. Ideoque, hæc de Messia concio, ad legem non pertinet. Si quis tamen defendere velit, leges novas adhuc Mosi datas esse , ut forte videntur reperiri v. 15. & 16. XXXIV. Cap. Exod. perponderet, si libet, dici quidem Dominum vocasse, vel prædicasse, de nomine Domini, nullum autem verbum, eorum adnotatum est, quæ D E V S Mosi de Messia revelavit , & per consequens, Iudæi, hanc de Messia revelationem, non acceperunt, eum in modum scriptam, & traditam, quo legem acceperunt, hoc autem cum constet, quilibet perspicit, concessionem illam de Messia, legi, de qua, Stephanus agit, non posse accenseri, sed τῇ ρόμῃ voce, solam legem quatenus omnes promissiones Evangelicæ ab eadem exulant h. l. depingi.

## §. V.

Cum autem neminem fugiat , legem hanc, stricte sic dictam, in tres iterum abire species, in Moralem scil. Cærimonialem, & Forensem : inquirere juvat, an vir Sanctus, tres illas legis species, & legem in toto suo ambitu

B

specta-



spēctatam, an vero unam, alteramve ejus partem, per angelorum dispositionem, datam esse, adstruat? Sane! iidem, qui, angelos nihil ad dispositionem legis, contulisse contendunt, quam, quod Præsentia sua, & servitio per sonum tubarum, & operationem aliorum mirabilium, præstato, gloriam & majeſtatem legislatoris auxerint; legem cærimonialem & forensem, per dispositionem angelorum Judæos accepisse, niſi directe tamen per indirectum diffentur. Conſtat quidem angelos tuba cecinisse, an vero inter ſonum, tubæ perſtrepentis, lex recitata fit, an vero potius, per clangorem tubæ, tonitru, & fulguris, populus præparandus, & excitandus erat, ad, eo attentius aufcultantum, dictis Domini, diſputare adhuc licet, nec enim ſatis clare dictum eſt, an, tuba, cum Deus legem recitaret, ſonuerit, nec vero ſimile eſt, tubæ ſonitum eſſe auditum, interea quod Deus legem proclamaret, nam decalogum idcirco alta voce recitavit, ut ab omnibus perciperetur, ejusque obſervatio populo eo magis cordi eſſet, Exod. XIX, 9. Si vero tubæ vox durante legis recitatione audita fuiffet, auditus Israelitarum, perinde impeditus foret, quo minus, diſtincte verba DEI excipere potuiffet, multo minus credendum eſt, tubam, cum Deus legem cærimonialem & forensem, Moſi traderet, personuiffe, cum nulla indicia, hoc ſuadeant. Quoniam autem hac ratione, lex ritualis, & politica, Judæorum, non poſſet dici, per angelos diſposita, non fine ratione quaerimus de qua legis ſpecie, vir Divinus, hic loquatur. Legem autem in toto ſuo complexu, tam qua mores, quam qua eccleſiam & forūm Judaicum, moderabatur, Stephanum per Genios, diſpositam eſſe contendere; nullo negotio ex iſpis ejus verbiſ conficitur. Dicit namque, Judæos, legem accepiffe, in diſpositionem angelorum, nec tamen eam ſervaffe. Hæc

fi



si invertamus, sequens producitur argumentatio. Quamcunque legem Judæi non servarunt, illam, acceperunt, per angelorum dispositionem. Si enim verum est, quod id, quod per angelorum dispositionem acceperunt, non servaverint, verum quoque esse debet, quod, id, quod non servaverunt, per angelorum dispositionem acceperint. Atqui omnes legis species non servarunt, quod adeo manifestum est, ut nulla fere demonstratione egeat. Ipse Stephanus hujus asserti veritatem testatur v. 51. v. 40 - 43. demonstrat, quod statim post promulgatam legem, contra primum, legis moralis præceptum, alios Deos coluerint, alia contra decalogum peccata, vid. Num. XV. 32. seqq. XVI. XXV, i. peccata contra leges sacras commissa, redarguit Michas Cap. I, 7. seqq. III, 7. seq. add. Lev. X. Et quoties contra legem, quæ circa processus juris decernebat, impegerint non est quod demonstremus, cum tota hujus gentis historia, luculentum præbeat, de injustitia, tot regum, & malitia subditorum, testimonium. Ne quid tamen intactum relinquamus, ad testimonium Esaiæ provocamus Cap. I, 15-23, ubi plures eorum iniquitates, paucis proposuit. Dummodo, autem vidimus, Judæos, totius legis, nulla excepta, reos esse factos, per se inde consequitur, legem qua omnes suas species, qua mores, qua ecclesiam, quaque politiam spectat, per Angelos ordinatam esse, atque dispositam.

## § VI.

Re, itaque de qua Protomartyr sermocinatus est, breviter explicata, id quod de ea adstruit, quod *prædicti* nomine in scholis venire solet, ut in censum revoemus instituti nostri ratio jubet. Dicit autem, legem, judæos *accepisse in dispositionem angelorum*. Seu quod idem est uti Gal. III, 19. dicitur, *legem ab angelis esse dispositam*.

B 2

Vt



Vt distincte progrediamur, primo loco, de illis qui legem disposuerunt, deinde quomodo eam disposuerint: agendum nobis erit. Illi per quos lex est disposita vocantur *angeli*, quoniam legem *ēis diatayais αγγέλων* Judæi acceperunt. Vocem τῆς αγγέλως, quæ respondet, Ebræorum סָלְמוֹדָו modo quemvis Dei nuntium, quo in arduis negotiis ad homines usus est, modo (ut plurimum tamen) spiritus cœlestes, denotare: cum res sit tyronibus quoque nota, ut fusi demonstremus necesse non est. Hoc tantum notamus: hanc duplicem vocis acceptioñem, in culpa esse, ut & hoc loco interpretes, de angelis per quos dispositio legis facta diversas foveant sententias. Alii, dubitant, an per Angelos Genios cœlestes, an vero, homines tanquam *DEI* nuncios, legis doctores, & explanatores intelligere, debeant. Hinc Oecumenius admodum dubitanter dicit a) ἐπιταγεῖς διὰ μέσων αγγέλων, ή τῶν ἱερῶν, ή ὄντως αγγέλων. *Ordinata per medios Angelos aut sanctos, aut natura tales.* Alii autem sine ulla dubitatione, vocem αγγέλων non proprie, sed appellative sumi volunt, qui tamen ipsi sibi non satis constant. Nam et si Ambroſius, hæc habet b) *Angelos dicit Dei nuntios, i. e. Mosen, Jesu Nave, &c ceteros prophetas, usque ad Iohannem Baptistam:* tamen alio loco c) se ipsum refutat his verbis, *legem per Angelos datam esse, plurimis ostenditur in locis.* Haud melius Chrysostomus, suam defendere videtur sententiam. Quamvis enim ad dictum nostrum, differat d) τίνες φασι, τὸν ὑπ' αγγέλων λέγειν διαταχθέντα, εἰς ἓν δὲ, περ γὰρ αγγελοι νόμον ἐφάνησαν διατάττοντες. Dicunt quidam ab angelis dispositam. Sed

a) Comment. in Epist. ad Gal. III, 19. p. 742.

b) Comment. ad eund. loc.

c) Comment. in Epist. ad Ebr. II, 2.

d) Homil. XVII in acta p. 162. edit. Francoford.

Sed non appareat, quomodo Angeli videri queant eam dispositisse. Dum autem hic improbat eorum sententiam qui arbitrati sunt legem per angelos fuisse dispositam, & admirabundus quasi querit, ubi angeli comparuerint disponentes legem, sufficienter profitetur, se per angelos h. l. spiritus cœlestes, intelligere non posse, tamen & ipse sui immemor fuit, quando ad Ebr. II, 2. sermonem per angelos dictum: hæc notat, τινὲς εἰ μὲν ἐγ τὸν Μαῦσεα φασίν αὐτεδαι  
αὐλά ἐκ ἔχει λόγον, αὐγγέλους γὰρ ἐν ταῦτα πόλλους φησί, καὶ αὐγγέλους  
ἐν ταῦτα τέτες φησί τες ἐν τῷ εἰρανῷ. Nonnulli quidem dicunt,  
Mosen tacite significari, sed non est consentaneum, multos enim hic dicit angelos, porro autem, hic, angelos eos quoque dicit, qui sunt in cælo. Tacemus alios Patres Theophylactum, Eythymium, &c. qui omnes voce τοῖς αὐγγέλοις certos quosdam DEI nuntios, designari putant. Recentiores autem interpretes, in eo omnes conveniunt, quod per angelos h. l. spiritus cœlestes sint intelligendi. Hoc autem non sine ratione statuunt. Nam Moses angelis adnumerari nequit, quoniam illis contradistinguitur, & mediator vocatur Gal. III, 19. Non obstante autem quod pars interpretum, Christum pro mediatore illo habeant ex Deut. V, 5. certo nobis constat, Mosen quoque a Paulo mediatorem dici. Multo minus alii homines, tanquam doctores, & interpretes legis sub Angelis intelligi queunt, cum nulla ratio adsit, cur ab usitatissimo hujus phraseos sensu recedamus, sed, rationes haud vulgares illi inhærere jubeant. Etenim si doctores legis, Angelorum nomine venirent, Stephanus tanta cum indignatione Judæos, non arguisset, quod legem non servaverint, nec scriptura ubi vis hoc factum angelis adscriberet, sed ut alias unum dictum, si phrases ambiguæ sunt, alterum explicat, ita &

B 3

hic,

e) Homil. III. in Epist. ad Ebr. p. 722.



hic, clarius, sententiam suam exprimeret, nisi spiritus cœlestes angelorum nomine intellectos velit. Maximam autem injuriam, ut scripturæ ita & Spiritui S. illaturi esse mus, si hodiernis Pneumatomachis, adsentiremus, qui putant, Stephanum hic loqui secundum communem Judæorum opinionem, qui cum omnibus rebus certos quosdam spiritus præfecissent, ita quoque eos Spiritibus, dispositio nem legis adscripsisse, revera autem legem ab angelis non esse dispositam, sed Stephanum, opinioni eorum se adcommodasse, & tanquam Scriptorem Rabbinicum, & Talmudicum loquutum esse. Ejusmodi autem loquitiones, Spiritui S. qui per Stephanum loquutus est, sine maximo crimine non possunt adfigi, prout enim ille verba facit, ita quoque res se habet, verbum enim ejus est veritas Joh. XVII, 17. Adcedit, quod scopus orationis viri Divini, non erat, ea loqui, quæ congrua erant, opinionibus eorum præconceptis, sed quæ vera erant, & quæ demonstrarent, quam & quoties contra legem Divinam impegerint. Quod ad nos itaque attinet, non possumus non, per hos angelos Spiritus cœlestes intelligere. Cum enim de ipsis sciamus, quam lubentissime, mandatis Dei obsequantur, Ps. CIII, 20. in quanta copia, D E V M legem promulgantem stipaverint Deut. XXXIII, 2. qui dubitare possemus, legis dispositionem per eos esse factam. f)

### § VII.

Alterum, quod nobis expendere incumbit, est, ut indicemus, qua ratione, lex ab his Geniis sit disposita. Hoc autem a viro Sancto exprimitur, verbis illis *ēis diætayās.* Quæ multis & diversissimis interpretum sententiis occasionem

f) Conf. STROMEIERI Disp. de Harmonia Decalogi, quoad *περιστατικά,* Harmon. II. ad Deut. XXXIII, 2. & Ps. LXVIII, 18. Jen. ed. 1712.



sionem præbuerunt. Et sane haud exiguae molis est verum harum vocum significatum eruere, cum tot, earum sint explicationes, rationibus, non omni ex parte, contemnendis, demonstratae. Quæ ita comparatae sunt, ut interpres, non tam de vera exegesi verborum, quam de modo, eadem ita applicandi, ne inde evinci queat, Angelos legem concepisse, sollicitos fuisse inveniamus. Inde fit ut sententiae eorum, ad tria capita, commode, revocari queant. Ima Sententia eorum est qui vocem *diatayas*, servitium, quod angelii, cum lex promulgaretur in monte Sina præstiterunt, exprimere arbitrantur, hi autem in duas iterum Classes abeunt. Pars, generalissime verba illa explicans, dicit Angelos ferenda legi inferviisse unde Theodoreetus hæc tantum habet g) ἐτέθη δε ρόμος scil.) ἐπαργύρων αὐγέλων. *Posita vero lex servantibus angelis.* Cui multi alii li) similia habent. Vbi ex recentissimi Langium nominasse sufficit, qui ita differit, i) und ist gestellet, öffentlich auf dem Berge Sina promulgiret von den Engeln, unter der solgenden Bedienunge der Engel. Quorum sententia et si verissima sit, tamen nobis non adridet, quoniam, hæc generalia verba, non explanant, quale, eorum circa legem fuerit ministerium, quod potissimum in quæstionem venit, indeque, res æque incerta & obscura manet. Præterea nondum penetrare possumus, quo fundamento, aut qua auctoritate nisi viri illi, vocem *diatayn*, per servitium traducere potuerint. Pars autem, verbum hoc clarius explicatura, servitium hoc in inflatione tubæ, & operatione, aliorum mirabilium quæ Exod. XIX. & XX. descri-

g) Theodoreetus Comment. in Epist. ad Gal. III, 19. itemque ad Ebr. II. v. 2.

h) Estius comm. in Ep. ad Gal. Tirinus ad Act. VII. 53.

i) Apostolisches Licht und Recht p. 517. ad Gal. III, 19.

describuntur, ponit. Clarissima interpretum verba, de hoc eorum sensu, dubitare nos non sinunt. Balduinus, sententiam suam his verbis proposuit. k) *Ordinatio & dispositio, pompam illam respicit, quam Deus in promulgatione legis adhibuit, ubi inter strepitus, tubarum, ab angelo, mirabiliter inflatarum, cum Mose loquutus fuit.* Haud secus Calixtus, rationem hujus servitii exponit. l) *Nempe, cum lex lata fuit; ministerio angelorum, in tonitru, clangore buccinae, & reliquis prodigiis edendis, vocibusque formandis, Deus usus est.* Si vero Ægid. Hunnius, inquit, m) *Lex promulgata, inter sonum tubæ per strepitum, in monte Horeb, non ab hominibus, sed ab angelis admirabiliter inflata, atque sic per dispositionem angelorum lata lex est, ut Stephanus loquitur Acto. VII. & tamen statim subjungit, unde Epist. ad Ebr. Cap. II. v. 2. sermonem legis per angelos dictum refert: nondum adparet quid his verbis dictum velit.* Etenim si loco præpositionis, *per*, *inter* posuisset sententiam suam hoc dicto potuisset comprobare, cum autem τὸ δια in ter reddidit, aut, angelos, tanquam eloquutores legis consideravit, & hoc modo se ipsum refutasset: aut *sermocinari, & tuba canere* pro loquutionibus synonymous habuisset, quod cum valabsonum foret, de tanti ingenii viro credi nequit, quam obrem, ipsum priori suæ sententiæ fidem ex omni parte, habere non potuisse videtur. Mittimus alios bene multos, qui simili ratione, scripta horum viorum, magni semper faciamus, quod tanta sunt eorum in ecclesiam merita, et si non negemus, angelos tuba cecinisse,

k) Comment. in Epistol. paulin: p. 808.

l) Exposit. litter. Epist. ad Gal. III, 19.

m) Comment. ad eund. loc-



se, & multa alia mirabilia operatos esse, tamen huic eorum sententiæ, adstipulari non possumus. Nam 1) vox *diatayn* nunquam, *servitium* denotat, sed aut concinnum quendam rei cuiusdam ordinem, si sensu latissimo sumatur, aut *mandatum* & *edictum*, vox enim primitiva, præter hos binos sensus, aliud non admittit, ergo nec derivativum. Quæ causa est, quod etiam hoc loco vox *diatayn* servitium angelorum indicare nequeat. 2) Vox *diatayn* respectum habet ad *vōμον*, & cum *vōμω* combinanda est quia Gal. III, 19. *vōμος* dicitur *diatayēis*, eo autem quod lex *diatāξn* (ut ita loquar) passa est, satis innuitur hanc *diatayn*, in ipsa lege, non autem in servitio catervarum cœlestium quærendam esse. Adcedit 3) quod hæc vox, sine omni fundamento, de servitio angelorum per tubæ sonitum exhibito, explicatur, cum non constet tubæ vocem, cum legem quæ circa ritus sacros, & processus juris decernebat, DEVS aperiret, auditam esse §. V. Hoc autem cum per quam probabile sit, lex ecclesiastica & civilis non potuissent dici per angelos, disposita: si vox *diatayn* externum solum angelorum circa legem servitium, diceret. Totam vero legem ab angelis esse dispositam Stephanum adserere §. cit. demonstratum est. Ergo per se clarum est, vocem *diatayn*, aliter, quam de solo ministerio angelorum, in clangore tubæ, aliisque prodigiis edendis, exhibito, interpretandam esse.

## § IIX.

Secunda Sententia eorum est, qui vocem *diatayas* respectum ad angelos habere putant, dicentes *ēis diatayas* positum esse pro *ēv diatayais*, *in dispositionibus*, *hancque particularum enallaxin*, *in scriptura usitissimam esse Math. XII, 18. ēis ὡ pro ἐν ὁ Marc. V, 34. ēis ἐγένην pro ἐν ἐγένην* positum esse. Ut sensus sit, *in dispositionibus angelorum b. e. inter*

C

ter



ter disposita beneque collocata angelorum agmina imperatori suo adstantia eumque reverentiae causa stipantia , ita Quenstedius. n) Quibus sufficienter declarat, Angelos agminis instar fuisse dispositos , & inter hos angelos bene dispositos, legem esse promulgatam. Eft, dicit, o) ordinatio & dispositio legis, facta quidem inter angelos, non autem per angelos , quia solus D E V S ut legem promulgavit, ita quoque eamdem disposuit , eo quo habetur ordine. Äequali ratione Dorschæus vocem διατάγματος respectum ad angelos habere, & indicare legem inter angelos publicatam , & edictam esse judicat.p) Haud secus Grotius q) εἰς πρότερον, ostendit quam magnifice data sit lex inter multas angelorum turmas , respicitur enim locus Deut. XXXIII.2. Cui sententiæ plures interpretes, addicti reperiuntur, quos & quorum verba, ut in medium proferamus adeo necessum non est. Cum ex unico Quenstedio satis adpareat, quæ eorum sit opinio , quodque hujus fundamentum. Opinio eorum hæc est, legem inter angelos esse promulgatam. Quod autem huic explicationi, calculum nostrum non adjiciamus, partim in culpa est, quod nullas videamus rationes, hanc exegesis fulcientes, partim quod ipsa phrasis hanc explicacionem non ferat. Pro demonstratione quidem adducitur usitissima particularum in Scriptura S. ἐνάλλαξις. Sed licet illi non contradicamus, tamen inde non sequitur, & hoc loco ejusmodi ἐνάλλαξις esse statuendam , ejusmodi enim allegationes si solæ sint, præter probabilitatem vix quidquam parere possunt. Si itaque nulla alia fundamenta adcedunt, demonstratio quoque quæ inde petitur, infirmo

n) Theol. Didact. Pol. T. I. C. XI. Sect. II. p. 714.

o) loc. cit.

p) In judic. Theol. Argent. super actitat. a Laterman. p. 53.

q) Bibliis Crit. Tom. IV. p. 2216. ad Act. VII, 53.

mo tali nititur. Hoc sine dubio perspiciens vir doctissimus, majus quoque pondus, sententiæ suæ addere voluit his verbis. *Quia deus ut legem promulgavit, ita quoque eamdem dispositit eo quo habetur ordine.* Si dicit quia, indicat adserti sui rationem se velle reddere, hoc autem erat, legem ab angelis non esse conceptam. Cujus ratio est, legem a Deo esse promulgatam, ergo ab eo quoque conceptam. Nemo autem non primo statim obtutu perspicit, hanc rationem nondum ad probandum sufficere. Etenim quot non leges, antiquiores gentes promulgarunt, quas non ipsi, sed sapientiores composuerunt? Quod non leges, hodie a principibus promulgantur, quas non ipsi, sed eorum consiliarii confecerunt? Promulgavit deus voluntatem suam de Mysterio Redemtionis, sed angelii, cum de eodem sermones facerent ad homines, conceptus suos ipsi formarunt. Ponamus vero hæc ita esse, tamen accedit, quod vox διαταγὴ, nullum ad angelos, habeat respectum, sed præeunte Paulo Gal. III, 19. cum νόμος combinanda sit, si dicit quod νόμος sit διαταγεῖς δι' ἀγγέλων. Si vero Paulus dicit legem esse dispositam, nos non possumus dicere, angelos fuisse in certa agmina dispositos; & consequenter, legem inter angelos seu circumstantibus angelis a deo promulgatam esse, phrasit, εἰς διαταγαῖς ἀγγέλων non docetur. Præterea non adparet, qua ratione, tam Stephanus quam Paulus, ut & auctor epistolæ ad Ebraeos, inducti, legem dixissent per angelos dispositam, ideo quod inter angelos, sit promulgata, cum hoc iudæis etiam sine eorum monitu, tam ex Cap. XIX. & XX. Exodi, itemque Deut. XXXIII, 2. quam ex traditione majorum satis superque, constaret. Cum tamen promulgationis legis ab ipso deo factæ, toties in N. T. mentio non injiciatur, quoniam de hac veritate, nemo ullum dubium fove-



fovebat. Nisi itaque contendere volumus, DEI viros, dogma quoddam sine necessitate repetitum tradidisse: profitari cogimur, de re quadam, non omnibus ita perspecta sermonem ipsis esse, nec illos hac phrasí, legem inter angelos esse promulgatam, tantum voluisse revelare.

## § IX.

Tertiam sententiam qui propugnant, veritati proprius adcedunt, quod vocem διαταγῶς recte cum τῇ φωνῇ voce conjungunt, innuentes quod lex sit διαταγῆς, recte quoque statuunt, legem ab angelis esse dispositam, in eo autem a veritatis tramite recedunt: quod vocem διαταγῶς quae proprie dispositiones dicit, per ejusmodi eloquitionem reddunt, quâ lex ab angelis sit *promulgata*. Quoniam autem Stephanus legem a multis angelis dicit dispositam, lex autem ab uno tantum angelorum poterat promulgari, & ex Exodo quoque manifestum, est, unum modo, legem pronuntiasse, hoc quoque respexerunt interpretes, ideoque in voce αγγέλων, numeri enallagen statuunt, ut sensus phraseos εἰς διαταγῶς αγγέλων sit in eloquitione Angelii. Hi vero, invicem diversi sunt, quod alii angelum increatum, alii autem creatum, accipiendum esse censeant. De angelo increato verba illa interpretari videtur D. Chrysostomus r) qui hæc habet, διαταχθένται φωνοὶ λέγει, τὸν ἐγχειριθέντα, αὐτῷ, δι αγγέλος, τῇ ὀφείντος αὐτῷ ἐν τῇ βάτῳ. *Dispositam legem dicit eam, quæ illi tradita fuit, per Angelum qui illi adparuit in rubo.* Cui consentit Cornelius a Lapide s) cujus verba, sunt. *Etsi unus fuerit primarius Angelus v. g. S. Michael, qui nomine Domini decan-*

r) Homilia XVII. in acta p. 162.

s) Comment. ad Actor. VII. v. 53. Conf. etiam pt. Spanheimius dub. Evangel. P. II. dub. 85. p. 577.



*decalogum proclamavit in Sinia.* Grotius t) in genere: Angelo uno eam pronuntiante Act. VII, 38. cæteris eum stipantibus. Quominus autem in hanc sententiam descendamus prohibet, quod innumeræ rationes, non angelum increatum, angelum scil. in rubo, aut Michaelem, sed ipsum Patrem, legem promulgasse adstruant, quarum binæ, id sufficienter probant quod nos probatum volumus. Prima desumpta est ex V. T. Exod. XXIII, 20. ubi is, qui in præcedentibus leges recitare occupatus erat, dicit, se missurum esse *Angelum* suum coram facie Israelitarum, qui *Angelus* eos sit custoditus in itinere in terram Canaan, & ducturus in locum ipsis paratum. Angelum autem illum fuisse increatum ex v. 21. 22. patet, ubi dicitur eum non esse remissurum peccata, si forte eum essent exacerbaturi, cuicunque autem competit remissio peccatorum, is sine dubio est angelus increatus, non autem creatus, additur ab eo, qui hunc angelum missurum pollicetur כְּשֵׁם בָּרְכִּי Hæc autem cum ita crude accipi nequeant quasi nomen mittentis mittendo, materialiter inscriptum sit, sciendum וְשָׁם, Ebræis aut nomen, aut dignitatem & gloriam denotare, unde viri graves & honoriatores אֲשֶׁר הַשְׁׁמָה Genes. VI, 4. & passim vocantur. Sive itaque angelus missurus gerat nomen mittentis, sive tantam habeat gloriam & dignitatem, hoc inde sequitur, quod mittens, & mittendus, dignitate & gloria pares sint. Si vero mittens qui legem Mosi recitavit, angelus increatus esset, mittendus necessario quoque talis esset. Quoniam autem duo angeli increati non dantur, necessarium est, mittentem hoc loco, non angelum sed Patrem ipsum esse, perinde autem manifestum est hunc angelum, & no-

C 3

men

t) Bibliis crit. T. V. p. 503. ad Gal. III, 19.

men gerere, & gloriā, maiestatemque, mittentis **DEI**, quæ in nullum angelorum, nisi in increatum cadere queunt. Dum autem ex dictis adparet, angelum qui mittendus erat, ab eo, qui legem mōsi tradidit, fuisse angelum increatum, Iesum Christum : de quo ipse Esa. Cap. LXIII, 8. seqq. verba illa exponit: ab hoc quoque angelo lex promulgata dici nequit, quoniam mittens, legem recitaverat v. 29. coll. cum antecedentibus. Alterum fundamentum, legem, ab angelo increato non esse promulgatam, desumimus ex N. T. ubi primus Evangelii præco Joh. I, 17. disertis verbis profitetur, *legem per Mōsem datam gratiam autem & veritatem per Christum factam esse*, eo itaque modo, quo *gratia & veritas* per Christum, *facta sunt*, lex ab eo non data est. Gratiam autem & veritatem, Christus ex gremio patris protulit, hominibusque revelavit & promulgavit. Ergo lex tali modo ab eodem, non revelata & promulgata est. Hæc cum satis copiose commonstrent, legem, ab angelo increato, non esse promulgatam: docent quoque, eorum sententiam, qui conjiciunt, Stephanum, suis verbis adserere, legem ab angelo increato Mōsi traditam esse, non posse probari. Cum nihil possit simul esse & non esse. Et quoniam, hoc Stephani effatum, tanquam obscurius, in quæstionem interpretum venit, nullus sensus, qui inde elicetur, si clarioribus oraculis repugnet, adoptandus est. Cum clarioribus autem dictis pugnat, virum Divinum dicere velle legis promulgationem, per angelum increatum factam esse. Ideoque huic sententiæ subscribere nefas est.

### §. X.

Creatum quendam Angelum, legem, nomine Domini, Mōsi, recitasse, interpretum partem sentire : scripta eorum



eorum nos, nulla ratione sinunt, dubitare. D. Augustinus, pro adsumpta hypothesi omnes scil. adparitiones in Veteri Testamento, de angelis creatis esse accipiendas, non potuit non defendere, legem ab angelo creato esse promulgatam. Verba ejus hæc sunt : u) *Per angelos autem, ministrata est, omnis dispensatio V. T. agente in ipsis Spiritu S. & ipso verbo veritatis, nondum incarnato.* Si omnem dispensationem per angelos administratam esse propugnat, administrationem quoque, in promulgatione legis factam, necessario subintelligere debet. Quin imo hanc hypothesin, ita comparatam esse putat, ut veritas ejus a quovis statim cognosci queat, si dicit : x) *Proinde omnia quæ patribus visa sunt, cum Deus, illis secundum dispensationem suam temporibus congruam, præsentaretur : per creaturam facta esse, MANIFESTVM EST.* Si his verbis utitur : *Cum DEVS illis præsentaretur ; indicat, omnes adparitiones, quæ omnibus videantur, DEVUM hominibus stitisse :* tamen per creaturam factas esse, ideo necessario quoque statuere debuit, revelationem, in monte Sina, qua semper dicitur, Deum Mosi loquutum esse, per creaturam factam, & consequenter, legem, per angelum creatum promulgatam esse. Quod putat manifestum esse ideoque longa demonstratione non egere. Hæc sententia nostrabitus his recentioribus temporibus, si simpliciter & absolute sumatur, placere non potest, cum gravissimis dubiis sit exposita. Pontificiorum autem non pauci, hanc amant, cuius causa sine dubio, Augustini apud eos auctoritas esse videtur. Instar omnium, hic nominare sufficiat Calmetum ita differentem : y) *Moïse dit toujours, que, ce le seigneur*

u) Exposition. litterat. Epist. ad Gal. III, 19.

x) Libr. III. de Trinit. Cap. XI.

y) Comment. in Epist. ad Gal. III, 19.



*seigneur qui parle, qui apparoit, qui ordonne. Mais on est persuade, que c' etoit un Ange envoye de Dieu, qui parloit en son nom.* Hæc cum satis indicent verba *éis dīatayas ἀγγέλων*, seu *dīatayais dī ἀγγέλων*, de eorum sententia, esse reddenda, per eloquutionem angeli quod scil. lex ab angelo quodam nomine Domini loquente promulgata sit, pluribus testimonii demonstrare, supersedere possimus. Ita vero hæc sententia comparata est, ut sine negotio infringi queat. Siquidem in nullo Exodi Capitum quæ de publicatione legis monent, unquam dicitur, angelum Mosi loquutum esse, sed semper dicitur, & *dixit Dominus ad Mosen.* Cui objectioni, D. Augustinus obventurus, minus recte sentit, his verbis: z) *Sed ait aliquis, cur scriptum est, ET DIXIT DOMINVS AD MOSEN, & non potius, ET DIXIT ANGELVS AD MOSEN.* Quia, cum verba judicis præco pronuntiat, non scribitur in gestis, ille præco dixit, sed ille judex. Sic etiam loquente propheta sancto, etsi dicamus propheta dixit, nihil aliud quam Dominum dixisse volumus. Lubentes quidem concedimus, haud inusitatas esse, tales loquendi formulas. Sed quæ hæc consequentia? Si verba judicis præco pronuntiat, in gestis, non scribitur, ille præco dixit, sed ille judex dixit! sequitur, quod, ubi in gestis scribitur, ille judex dixit, intelligendum sit, judicis præconem dixisse. Hæc enim, nisi vis demonstrationis esset, non posset inde evinci, angelum tanquam præconem esse intelligendum, si DEI tanquam judicis fiat mentio. Quia autem in eadem aliquid adsumitnr, quod universaliter verum non est, scil. judicem ipsum nunquam aliquid promulgare, sed semper per præconem loqui, quod quotidianæ experientiæ adversatur, adparet inde, hanc, ad omnes casus, tuto adiplicari non posse, multo minus eadem

z) Lib. III. de Trin. c. XI.



dem probari, legem ab angelo promulgatam esse, si ab ipso Deo Moſi dicitur tradita. Ipsum autem DEVM, legis promulgationem suscepisse, colligimus ex Exod. XXXIV. ubi Moses desiderat, faciem, ejus videre cujus familiari conversatione, & colloquiis tamdiu fructus erat. Sane! si angelus fuisset, quo tamdiu familiariter usus erat, tanto desiderio faciem ejus videndi non arsisset, nec ejusmodi gratiae & misericordiae elogiis, ipsum cumulare potuisset, quæ in neminem nisi in verum DEVM cadunt. Adcedit quod Deutr. XXXIII, 2. יהוה & myriades sanctorum (quam vocem LXX. recte per angelos traduxerunt) sollestitissime distinguuntur, quo significatur, a יהוה legem publici juris factam esse, cum non adpareat, cui fini in montem, dicatur descendisse, nisi ipse, legem Moſi credidisset. Præterea qui ortus est a monte Sina seu qui in monte adparuit, est יהוה l. c. qui in monte adparuit, loquutus est Exod. XIX, 20. coll. v. 21. & 24. & Cap. XX, 1. seqq. Ergo lex ab ipso יהוה non autem ab angelo creato Moſi aperta est. Si vero Angelus creatus legis promulgatione, non fuit occupatus: eorum quoque sententiæ, adsensum præbere non possumus, qui τὸ ἐις διατάγας ἀγγέλων, ita interpretantur, ut perinde legis promulgatio angelo cuidam increato adscribatur.

## §. XI.

Refutatis itaque illis, quæ nobis de phrasī, εἰς διατάγας ἀγγέλων, innotuerunt sententiis: quæ nobis, de eadem videantur, jam exponenda veniunt. Vidimus, omnes interpretum conjecturas eo redire, quod de promulgatione legis, dictum accipendum esse, probent. Cum autem neque ipsa phrasis, neque alia circumstantiæ, de promulgatione legis obviae, hunc sensum suadeant: nec alia ex-

D

pli-



plicatio, legis promulgationem pro objecto habens, locum inveniat: de Lege in universum seu Oeconomia Vet. T. tum temporis in monte Sinai a Deo promulgata, Angelisque huic præsentibus & administrantibus protomartyri sermonem esse, ingenue profitendum est. Vbi quidem supponere possumus Deum T. O. M. Angelis antea communicasse, quænam illa essent, quæ jam non populo solum Judaico, sed & simul toti generi humano promulgaturus esset, ut non tantum respublica ipsius, omnium gentium imperiis præluceret, sed & salus ejus tam externa quam interna, tam temporaria quam æterna, per illas promoveretur. Ejusmodi enim consilia, cum sacris cœlitibus, a DEO, sæpiissime inire, ipsa Divina revelatio, nos convincit. Illustrè ejus exemplum exhibetur i. Reg. XXII, 19. seqq. DEVS tanquam Rex throno suo insedisse, exercitus autem cœlestes, ad dextram, & sinistram ejus stetisse dicuntur. DEVS, tanquam Rex quæstionem móvet, de qua erat deliberandum v. 20. *Quis allicet Achabum, ut adscendat, & cadat, Ramothæ Gileadi.* Sententias Angelorum datas esse, inde adparet, quod alter sic, & alter sic v. 20. respondisse dicatur, unum ex his votis, à Deo adprobatum v. 21. 22. persuadémur. Pari ratione, quando Job. I. & II. traditur, filios DEI, venisse, & stetisse coram Domino, nihil inde elicere possumus, nisi, filios DEI, ob rem arduam & magni monenti, extraordinaria quadam ratione eonvenisse, ad audiendum mandata divina, & respondendum. Aliter enim dici non posset, quod *venerint* ad DEVUM, quia semper sunt in conspectu EIVS Luc. I, 19. Math. xix, 10. Dan. vii, 10. Sed, quare longius labaremur? exemplis nostram defendere thesin, cum clarissimum Danielis effatum, veritatis ejus fulcrum sit, Dan. iv, 14. ex quo non tantum evincitur, consilia inter sacros cœlites sub auspicis



ciis divinis iniri, sed & quæ in ejusmodi consiliis decernuntur, a Deo probari ac confirmari & ut ita loquar ratihaberi. Prout etiam Christus quærebat e discipulis suis primum Joh. VI, 5. 6. & deinceps dabat mandata v. 10. seqq. Nemini itaque mirum, aut Scripturæ repugnans, videbitur, si contendimus, simili consilio, legem, inter angelos esse communicatam, ac de eâ judicatum. Nolumus tamen, quemquam opinionem concipere, quod infinitam DEI sapientiam infringamus, quasi defendenderemus, DEV M nescivisse, quæ leges saluti Judæorum inservire potuerint, contrarium enim, meditatio, quod universæ angelorum Sapientiæ scaturigo, ipsa DEI sit Sapientia, nos jubet tenere. Cui accedit illud Rom. xi, 34. 35. *Quis confiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur illi?* Putamus autem judicium Angelorum requisitum esse a Deo ex mera proclivitate & gratia, qua eos fovet, ut demonstret, quanto amore eos amplectatur, quantam fiduciam in eis collocet, ut fidos, habiles, & dignos judicet, qui in rebus maximi momenti in consilium quasi adhibeantur. Agnoscere quoque ex hac communicatione debebant Angeli, quæ viribus humanis respondeant, quia & ipsi, peccabiles olim erant conditi, unde compertum habebant, quid valeant forte humeri quid ferre recusent, sicuti & Christus, carnem humanam adsumere debuit, & tentari per omnia eo fine, ut misericors fieret pontifex; qui, patientia, & æquanimitate, peccata & imbecillitates hominum ferre queat. Ebr. II, 14. seqq. IV, 15.

## § XII.

Hæc autem cum non æque faciant ad scopum nostrum, de reipsa dispiciendum erit, quomodo Lex ordinata sit per Angelos, & de argumentis quoque, senten-

D 2

tiam



tiam nostram extra dubium ponentibus; idem hoc loco, a Stephano indicari, quod respectum ad Angelos ordinantes omnino aliquem Lex habeat. Hoc autem, primo ipsa phrasis indicat, qua vir Divinus refert, legem datam esse, *τὸν διατάγματος αὐτοῦ λόγον*. To vero *διατάξειν*, in universo N. T. nullum alium habet significatum quam mandare, præcipere, constituere & ordinem quandam per præcepta conservare, Matth. xi, 1. Luc. xvii, 10. Act. vii, 44. Tit. 1, 5. &c. *διατάγη* itaque, nihil aliud significare potest, quam dispositionem per mandatum factam, etiamsi hoc mandatum iteratum sit, & a causa quadam subordinata tantum laudatum vel comprobatum. Hoc liquido adparet ex Rom. XIII, 2, ubi legimus, qui magistratui repugnat, *τὴν τὴν θεὸς διατάγην αὐθεντησεν*. Hic autem *διατάγη* nihil denotare potest, nisi mandatum quoddam accessorium, quale est constitutio magistratus, cum principale sit ipsius Dei. **DEVS** enim jussit, magistratui subjectum esse, dictisque eorum morem gerere, Exod. xxii, 28. I. Petr. ii, 13. Cui conformis est constitutio Magistratus. Quicunque itaque magistratui, eorumque mandatis se opponit, ille resistit *τὴν τὴν θεὸς διατάγην* illis scil. mandatis Divinis, quibus, magistratui non repugnare cautum est. Nec aliter, vox *διατάγη*, in nostro dicto exponi potest. Dicente enim Paulo, Gal. iii, 19. quod *νόμος* sit *διατάγματος* *διατάγματος*, manifestum est, vocem *διατάγματος* respectum habere, ad vocem *τὸν νόμον*, & cum eadem esse combinandam. Quibus significatur, ordinationem illam cuius mentio injicitur, non inter angelos tantum, sed & ab ipsis Angelis contigisse. Vti enim phrasis illa *τὴν τὴν θεὸς διατάγην*, non potest verti, dispositioni, seu ordinationi, quae in Deo aut inter Deum est, sed necessario reddi debet, ordinationi, quae a Deo simul ac magistratu (per mandatum scil.) facta est: æque minus sensus verborum,

28



*ēis diatayās ἀγγέλων*, erit, in dispositione angelorum h.e. inter angelos, agminis instar, bene dispositos, sed ad mandata, & secundum exhortationem, quam angelii tanquam Ministri divini, jussu utique DEI, ac dispositione prævia, de lege addiderunt. Legem vero, manibus ordinare & disponere non poterant, quamobrem, sermonibus, præceptis, suasionibus, encomiis & consiliis suis eam disposuisse: & per consequens, *diatayān*, dispositionem, per mandata & præcepta repetita factam, denotare, tenendum est. Hinc Syrus vocem illam, recte

*βοῶτις τὸν per manum mandati Angelorum traduxit.* Quoniam itaque adparet, vocem *diatayān*, haud aliter reddi posse, quam, dispositio, quæ per præcepta, & sermones constituitur: sensus phraseos *ēis diatayās ἀγγέλων*, necessario erit, secundum dispositionem, per præceptum angelorum factam, quem sensum phrasis Syriaca, clarissime suppeditat. Eo autem, quod dispositio, de qua nobis sermo est, non fuit in angelis, sed in lege ipsa Gal. III, 19. eo quod hæc dispositio per mandatum, & præceptum, seu sermones angelorum facta est: nulla autem ratione demonstrari potest, legem, cum promulgaretur, ab angelis promulgatam aut pro autoritate suâ recitatam ac demandatam esse, sed ab ipso Deo §. IX. X. ab omnibus quoque concedendum est, quod, quam fecerint angeli, mandatis, seu præceptis suis, de lege dispositionem, eam fecerint, consulendo, quod hasce leges saluti Israelitarum inservire, maxime judicarent, laudando, & adprobando illas, utpote quas secum Deus dudum communicaasset, tamque severe, & tanta cum maiestate jam ipse edixisset. Qui secus sentiunt, aut, ad unam sententiarum, quas in superioribus examinavimus, nullo fundamento ni-



xi relabentur : aut plane negabunt, angelos, quidquam ad legem patefaciendam contulisse. Nos vero subl̄stimus circa ipsa verba, quibus nec in majestatem Dei, nec in officia Angelorum, nec in dignitatem Legis ipsius, nec denique in historiæ seriem iniqui esse videbimur. Particula *ī* significabit *Ad*, *Juxta*, *Inter*, ut Luc. I, 19. *ἐις ὁδὸν ἡγενόντος*  
*ad vel juxta viam pacis.* Vox διατάχη mandatum, vel *in-*  
*culcationem annexam*, Rom. XIII, 2. Quale quid etiam intert  
*διατάχημα τῆς βασιλέως*, *ordinatio regis* Hebr. XI, 23. Et Judæi Le-  
gem sic acceperunt juxta Stephanum a Deo, non sine dispo-  
sitione & commendatione seria Angelorum, nec tamen cu-  
stodiverunt Act. VII, 53. Paulus hæc aliis verbis effert Gal.  
III, 19. & pro Nomine utitur Verbo, hoc modo : *Διατάχεις*  
*δι' ἀγγέλων*, *ἐν χειρὶ μεστεῖς*, *demandata*, (scilicet Lex) *per An-*  
*gelos in manu mediatoris.* Nempe cum in manum Mosis  
tradita fuisset a Deo, iterum iterumque ab Angelis præ-  
sentibus commendata tanquam pignus egregium, ne un-  
quam inde discederent ipse, vel populus ipsius. Vnde  
Syrus : *وَسِلْجُولَو* *Et tradita.* Item *كَلْمَكْ كَهْ* *per*  
*manum Angelorum.* Ideoque non solum inter Angelos.

## §. XIII.

Ab Angelis legem ita fuisse commendatam, etiam manifestum est, ex Hebr. II, 2. ubi mentio fit, *sermonis per angelos dicti.* Evidem, nos minime fugit, quantam o-  
peram interpretes navarint, ut demonstrent, ex hoc di-  
cto, nulla ratione evinci posse, Angelos legem concepisse,  
atque disposuisse. Quidam enim defendere suscipiunt,  
per sermonem ab angelis dictum, non legem, sed revela-  
tionem quamcunque, per Angelos in V.T. factam, intelligi.  
Quidam autem, hunc sermonem non ab angelis, sed in-  
ter angelos dictum esse, adstrui. Ex antiquioribus Oe-  
cumene-



cumenius sibi non constat, an de lege, an vero de aliis revelationibus, per angelos factis, hoc loco agatur. Verba ejus haec sunt: a) Ἡ περὶ τὴν νόμον φησίν, ὅτι διὰ ἀγγέλων ἐδόθη . . . ἡ περὶ τῶν, ὑπὲρ ἀγγέλων, ἀλλοις λαληθέντων. Aut de lege loquitur, quod per angelos data sit - - aut de his, quae aliis dicta sunt, ab angelis. Chrysostomus autem, de aliis revelationibus, ab angelis factis, sermonem esse, sibi certo constare, satis prodit, his verbis: b) Ἡτοι τὸν δεκάλογόν φησι μόνον (ἐκεῖ γὰρ Μωϋσῆς ἐλάλει, καὶ ὁ θεὸς απεκρίνετο) ἢ ὅτι πάρεργον ἀγγελοι, τὴν θεοῦ διαταττομένην, ἢ ὅτι περὶ τῶν ἐν τῇ παλαιᾷ λεγομένων, καὶ πρεττομένων ἀπάντων, ὡς ἀγγέλων ποιῶντος αὐτῶν, ἐν τοῖς ταῦτα φησί. Aut decalogum dicit solum (illic enim Moses loquebatur, & Dominus respondebat,) aut haec dicit de omnibus, quae dicta & facta sunt in Veteri (Testamento scil.) utpote quod societatem in his habuerint angeli. His quidem verbis, etiam adhuc suæ sententiæ incertus esse videtur: in sequentibus autem, eamdem sufficienter declarat, inquiens: Πολλὰ γὰρ χώρις νόμος προσέταξαν ἀγγελοι παρὰ τὴν θεοῦ πεμπόμενοι, διὰ γὰρ τούτο, εἰπε, νόμος, ἀλλὰ λόγος, καὶ τάχα μοι δοκεῖ τούτο λέγειν διὰλογον, διὰ τούτου μᾶλλον τὰ διὰ τῶν ἀγγέλων σκονερηθέντα. Multa enim sine lege jussérunt angeli a DEO missi - - Nam propterea non dicit, lex, sed sermo. Mihi a hoc magis forte videtur dicere, ea quae sunt dispensata per Angelos. Satis quidem declarant interpres, quid de hoc dicto sentiant: nullas autem addunt, hujus adesrti rationes, quem defectum, ex recentioribus Dorschæus supplevit. c) Qui cum putet ad νομοθεσίαν verba illa necessario non respicere, multis quoque rationibus (quæ tamen ita comparatæ sunt, ut sine labore infringi queant) senten-

a) Comment. in Epist. ad Ebr. c. II. v. 2.

b) Homil. III. in Epist. ad Ebr. p. 722.

c) In Apolog. pro iudicio Theolog. Argent. §. 31. 32. p. 93. seqq.

tentiam suam tueri, admittitur. Nam (1) dicit quod *vopu-*  
*deries* in Cap. I. Epist. ad Ebr. nusquam fiat mentio, nec  
Cap. II. incertumque esse, Apostolum legem opponere E-  
vangelio, indeque vult probari, quod per sermonem ab  
angelis dictum, sermo legis intelligi nequeat. Verum, quæ  
hæc est consequentia. Si neque Cap. I. neque Cap. II.  
*vopuGeolæs* fit mentio, & incertum est Apostolum legem  
opponere Evangelio, sequitur quod hoc v. 2. per sermo-  
nem ab angelis dictum lex intelligi nequeat, anne orato-  
rem licet promiscue uti, omnibus argumentis, quibus au-  
ditores, sibi adsensum præbere inducere potest? Auctor  
hujus Epistolæ oratorem agit. Scopus, ejus primarius  
quidem non erat, oppositionem facere, inter legem, & e-  
vangelium, sed demonstrare, quantus Christus præ pon-  
tificibus V. T. sit pontifex, (cujus oppositionis vestigia ubi-  
vis obvia sunt) & qualis nostra inde fluat obligatio. Hinc  
statim C. I. de autoritate Christi agit, quam demonstrat, ex  
prærogativis elogiorum, quæ præ angelis in V. T. ipsi erant  
imposita v. 4. Angelos in V. T. vocari ministros v. 7. Christum  
autem filium v. 5. adorandum ab ipsis angelis v. 6. Deum  
v. 8. 9. creatorem cœli & terræ v. 10. æternum v. 11. a pa-  
tre tantopere dilectum, quod non tantum ad dextram su-  
am illum collocaverit, sed omnes inimicos ejus proster-  
nere stipulatus sit. v. 13. Cap. autem II. quod consideratio  
tantæ auctoritatis Christi nos obliget, ad maximam obe-  
dientiam dictis ejus præstandum, sequentem in modum.  
Quia Deus his temporibus, per filium suum, nobiscum  
loquitus est Cap. 1, 2. qui ipse verus Deus est & tantam  
præ angelis possidet dignitatem v. 3-12. ita ut Deus om-  
nes ejus inimicos extirpaturus est v. 13. prospiciendum est,  
ne inimici ejus evadamus: sed morem dictis ejus sem-  
per geramus Cap. II, 1. Hoc autem ut obtineret orator,  
nonne



nonne poterat, argumento, ad movendum certum quendam adfectum, uti quo libebat? nonne itaque concludere licebat, si transgressores legis quæ ab angelis dicta est, tanquam ministris & Christo tanto inferioribus, acriter puniti sunt, quanto major pœna eos manebit, qui dictis Christi tanquam Domini, audientes esse nolunt? adminimum talis argumentatio absurdum non est, & indicat, inde quod neque Cap. I. neque II. *volumenes* fiat mentio, non sequi, nec hunc v. 2. de *volumenes* posse explicari. (2) Dicit παράβολις & παραπονή latius se extendere, nec esse contra λόγον *volumenes* tantum, ideoque non esse necessarium, ut per hunc sermonem legis intelligamus. Verum indicare debuisset vir doctus, quomodo παράβολις & παραπονή, latius se extendere queant, παράβολις autem semper præsupponit certum præscriptum, quod limites posuit, quo usque progrediendum sit, ejusmodi autem normam præscriptam, in nullis aliis angelorum revelationibus, præter legem offendimus, quamobrem contra illas quoque non datur παράβολις & παραπονή, nec latius quam ad legem se extendere potest. (3) Dicit quia Cap. I. v. 14. fit mentio λειτεγίας & διακονίας Angelicæ in universum, eam etiam λαλίαν τῇ λόγῳ intelligi, Cap. II. v. 2. quæ facta sit per λειτεγίαν & διακονίαν v. 14. ibi autem non tantum legem intelligi, sed multas alias res, E: & hic. Respondemus autem, hæc omnia concedendo, si vero διακονία in universum fit mentio: Specialis διακονία, in disponenda lege non excluditur, sed includitur. Deinceps sciendum est, διακονία & λειτεγία angelorum proprie non esse, ut doceant pios, viam salutis, sed ut pios custodiant, & ab infidiis a Satana structis defendant, quod non tantum expressa scripturæ effata Psal. xxxiv, 8. xcii, ii. sed & maximus exemplorum cumulus, inculcant. Et hanc διακονία h. l. quoque intelligi



gi ex Cap. i. perspectum habemus. Quia autem Cap. II. v. 2. Apostolus loquitur de λαλίᾳ angelorum, per eam nulla ratione, δικαιονίᾳ & λειτεργίᾳ de qua Cap. i. sermo est, intelligi potest. Si vero (4) addit, quod λόγος, δι' ἀγγέλων λαληθεῖς, sit λόγος σωτηρίας quia Cap. i. v. 14. angeli mitti dicuntur, διὰ τὸ μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν. Ergo etiam angeli adferant λόγους σωτηρίας: quia autem νόμος sit λόγος κατανόησεος 2. Cor. III, 6. ideo vix ad νομοθεσίαν ista verba restringi posse, mirifice παραλογίζεται. Nihil jam dicemus quod lex data sit Israelitis in salutem, quod ipsa lex *verbū* quoque *vivū* vocetur Actor. VII, 38. Gal. III, 21. Rom. VII, 10. ut perinde, angeli missi in salutem hominum, illam probe loqui potuerint, sed tantum monebimus, DEVŪM esse fontem & causam omnis salutis, eum omnium salutem anxie querere, qui ergo ab ipso, legis verba, prodire potuerunt, si ab angelis non potuerunt profari; quoniam ipsi in salutem hominum mittuntur? Cum vero hæc argumenta nondum demonstrent, legem, per sermonem ab angelis dictum, non posse intelligi, quod sine dubio, ipse quoque Dorschæus cognovit, hic cum aliis putat, hunc sermonem, non ab angelis, sed inter angelos esse dictum. Hinc Dorschæus: Si omnino evinci posset, Ebr. II, 2. de νομοθεσίᾳ loqui, nondum demonstratum esset, illud ad causam efficientem, eloquii legalis referendum esse, cum possit explicari, ut pertineat, ad singularem angelorum præsentiam, quam etiam operatio mirandorum, circa νομοθεσίαν sequuta est, ut adeo διὰ per *inter*, interpretetur ut 1. Timoth. II, 15. Rom. IV, 2. Hebr. VII, 9. 2. Petr. III, 5. cui quoque Quenstedius d) consentit. Verum, dicitur hic tantum, posse verba illa, talem explicationem admittere, non autem, evictum est, quod ita debeant explicari, cum *inter*

d) Theol. Dedact. Polem. T. II. c. I. Sect. I. p. 93z.



inter omnes constet, a posse adesse, non valere consequentiam. Et quamvis τὸ δια, nonnunquam *inter* significet, nihil præter probabilitatem loco, nihil autem certitudinis conciliatur.

## §. XIV.

Per sermonem autem ab angelis dictum, legem esse intelligendam, quamvis in aprico sit; tamen, omnium dubiis illud eximendum esse duximus. Quod nullius negotii esse judicamus. Opponitur enim hic duplex sermio, alter qui dictus est una cum promulgatione Dei ab angelis, ante Christum, alter autem, qui dictus est, in N. T. ab ipso Christo, simulque ab Angelis & Apostolis λαληθεὶς, εδοctus, & commendatus, ut Col. iv, 3. qui illum a Christo audierunt. Huic autem τηλομάντη σωτηρίᾳ, præ illo tribuitur: ex quibus sequitur, quod illi sermoni, qui ab angelis dictus est, aut nulla plane competit σωτηρίᾳ, aut ad minimum, non tanta σωτηρίᾳ. Si jam statuamus, quod sermoni ab angelis dicto, tanta non competit σωτηρίᾳ, ac verbis a Christo dictis (quamvis vox τηλομάντη h. l. proprie non sit, comparantis, sed admirantis, & magnitudinem rei amplificantis) tanta σωτηρίᾳ ipsi non competit: quoniam qua essentiam, seu res, quæ hominibus exhibet, & proponit, a sermone, a Christo dicto differt. Nam, si qua essentiam, seu res, unus idemque esset: & tamen τηλομάντη σωτηρίᾳ illi non competeteret; ideo non compete-re deberet, quod ab angelis, qui tantæ majestatis, non sunt ac Christus est, dictus esset. Verum ex multis V. T. dictis constat, angelos, multa dogmata de Christo pandisse, ipsis autem, tantam denegare salutem, quoniam de causa meritoria omnis salutis agunt, nefas est: unde nulla alia causa adest, cur, sermoni ab angelis dicto, tanta non com-petit σωτηρίᾳ, ac sermoni a Christo prolatu, quam, quod



hic, verba, quæ salutem & gratiam annuntiant: ille autem, verba quæ maledictum & mortem minantur, continet, atque proponit. Præterea additur, hanc salutem esse promulgatam atque adnuntiatam: "Ητις αἰχήν λαβεῖσα λαλεῖθαι διὰ τὸ κυρίον: eo autem quod prædicata, & adnuntiata est, sermoni non potest competere ratione auctorum, a quibus prolatus est, sed ratione rerum & dogmatum, quæ hominibus salutem obferunt, deque eadem homines certiores reddunt. Si vero sermoni ab angelis dicto, tanta salus non tribuitur, quia qua essentiam seu res quas proponit, a sermone per Christum prolato differt; statuamus neceesse est, per sermonem ab angelis prolatum legem esse intelligendam. Sermo enim a Christo dictus, de omnium consensu evangelium est, extra hoc autem, nullus aliis præter legem datur, quamobrem per sermonem, qui, qua essentiam, ab evangelio differt, nullus alius quam sermo legis intelligi potest, qui ab angelis dictus, h. l. adstruitur. Hinc multi interpretes e) tam ex nostris quam ex aliis, per sermonem ab angelis dictum, legem significari, seu Vet. Testamenti Oeconomiam, quæ tota hac Epistola Oeconomia Novi Testamenti opponitur, nulli dubitant. Hunc vero sermonem, non inter angelos, sed ab ipsis angelis, edoctum ac prolatum esse, fatis quoque manifestum esse, putamus. Volunt quidem, secus sentientes, τὸ διά h. l. per *inter* vertendum esse, sed cum sequens phrasis λαλεῖθαι διὰ κυρίον, hoc ipso versu occurrens, non sit: *edictus inter Dominum: sed edictus a Domino;* nulla adest ratio, cur eandem phrasin eodem commate

e) Theodoretus, Ambrosius, Balduinus commentariis in h. l. Augustinus lib III. de Trin. c. XI. Quensted. Theol. didact. polem. Tom. II. C. I. Sect. I. p. 932. ex Reform. Cameron Gomarus &c. Ex pontificiis Estius, Ribera, Tirinus &c. Comment. in h. l.



mate obviam *loquuta inter angelos interpretari velimus.* Nam, oppositio, quam auctor hujus epistolæ inter legem & evangelium facit, prohibet, quo minus rō dīcā, per *inter traducamus.* Si enim per *inter reddamus*, tota vis argumentationis quæ hic latet, enervaretur. Siquidem, auditores suos ad sollicitam obedientiam dictis Christi præstandam, auctor hujus epistolæ vocare volebat. Quam ut obtineat, a minori ad majus concludit: Evangelicam autem doctrinam, pro majori dono habet, quoniam ab ipso Domino loquuta est. Si itaque lex minor illa esse debebat, ideo minor esse debebat, quod non *inter angelos*, sed *ab angelis* dicta erat, etenim si ab ipso Domino, inter angelos dicta esset, non modo pari passu cur i doctrina Evangelica ambularet, sed eam, multis adhuc antecelleret. Quenstedio quidem videtur, f) constare argumento Apostolico suum robur: in hanc sententiam. *Si ille sermo, auctoritatem atque robur suum obtinuit, adeo, ut contemptores ejus, gravissime ultus fuerit filius Dei, ad cuius promulgationem solennem, angelos adsumit parastatas, & majestatis suæ vindices: quanto magis sermo evangelicus, auctoritatem atque robur, apud nos obtainere debet, ad cuius promulgationem in propria persona comparitus, humanam naturam ineffabilis unionis miracula adsumit.* Quilibet itaque perspicit, mentem clarissimi viri eo redire, quod etiam si lex, inter angelos, ab ipso Domino promulgata sit, æque ac evangelium: tamen evangelium perinde prærogativam atque auctoritatem nactum esse, quod annuntiatum sit, a Domino, *cum humanam naturam, ineffabilis unionis miracula adsumisset.* Siquis autem, majestatem & miracula, inter quæ, lex promulgata est, cum promulgatione evangelii, quam Dominus fecit expers omnis μοεφησ θεος, in forma servi, Phil. II, 6. 7. non habens ubi caput reclina-

E 3

ret,

f) Theol. Didact. polenk. T. II. C. I. S. I. p. 932.



ret, Matth. VIII, 20, non angelis, sed hominibus, Apostolis ministrantibus, comparaverit: nullo negotio deprehendet, adsumptionem humanæ naturæ, nullam, doctrinæ salutari, auctoritatem, præ lege comparare, si uterque sermo, ab ipso Domino profectus esset. Quoniam autem, maxima auctoritas, evangelico sermoni, præ sermone legis adjudicatur, eo quod in illos, quidicetis evangelii audientes esse nolunt, multo acrius sit animadvertisendum, quam in transgressores sermonis per angelos dicti: necessario sequitur, sermonem illum de quo nos dicimus, non ab ipso Domino, inter angelos, sed ab ipsis angelis tanquam ministris dictum esse. Tunc enim argumentum evincit id, quod, demonstrare debebat, scil. doctrinam evangelicam, attente amplexandam esse, quia, quo major Christi tanquam Domini sit auctoritas, præ angelis tanquam ministris, eo majori poena illi sint afficiendi, qui evangelio, tanquam sermoni, a Domino ipso dicto, subjecti esse nolunt, quanto majori poena, illi qui legem tanquam sermonem a ministris dictum, transgressionibus suis irritam reddiderunt, plexi sunt. Cum itaque adpareat, sermonem hunc, ipsos angelos protulisse, ex §. autem IX. & X. innotescat, nullum angelorum legem promulgasse, præter legis promulgationem, legem ab angelis dictam esse, facile sequitur; sive ante Promulgationem initium fecerit Angelus fœderis in consilio cum Angelis celebrato, sive cum ipsa promulgatione, Act. VII, 30. 38. sive denique statim post promulgationem legem ceteri repetierint atque inculcaverint. Imo vero non repugnat ipsas *quasdam leges annexas præter Decalogum ab Angelis potuisse proferri*, quæ sunt verba Calovii. g) Plane autem singularis, est Cameron h) circa

g) Bibl. Illustrat. ad Ebr. II, 2. p. 1177.

h) Bibliis Crit. Tom. V. p. 1288. ad Ebr. II, 2.

ca verba illa λαληθεῖσι δι' αὐγγέλων, qui cum probe perspexisset, legem ab ipso DEO loquitam seu promulgatam esse, hoc autem loco, adstrui, eam loquitam esse ab angelis, hanc contradictionem adparentem, hoc modo tollere molitur. *Quid igitur statuendum? quomodo lex dicenda λαληθεῖσα δι' αὐγγέλων.* Nempe verborum illorum, quibus concepta fuit lex, in aère sonus, angelorum opera fuit efformatus -- Itaque lex dicitur λαληθεῖσα δι' αὐγγέλων, quia angelorum opera factum est, ut representata fuerit quædam λαλία Israelitis. Ingeniosa hæc quidem sunt: sed cum nullum hujus interpretationis videamus fundamentum, refutari quoque non meretur, quæ præterea ex illis quæ in antecedentibus differuimus facile prosterni potest.

## § XV.

Vt autem verba illa εἰς διατάγας αὐγγέλων nobis significant; legem ab angelis esse demandatam. Ita quoque ex illis efficitur, ordine quodam hoc ab ipsis factum esse. τάττει enim ordinare aliquid dicit, τὸ vero διατάττειν, proprio disordinare, seu disponere significat, quando scil. maximus ordo observatur, quando omnia sollicite disponuntur, homogenea ad homogenea, hæterogenea, ad hæterogenea, nec quidquam intactum relinquitur, quod non ordine sit dispositum, ut nulla inordinatio amplius adverti queat. Hic vocis significatus adparet ex i. Cor. VII, 17. coll. v. i. Vbi cognoscimus, Corinthios ex Paulo quæsivisse, an licet, seu an melius sit in cœlibatu, an vero in conjugio vivere? & num nupti ad Christum conversi, divortium, alter alteri dare debeant? Ad hanc quæstionem cum Apostolus distincte respondisset, & omnes nodos solvisset v. 17. dicit: γρῶς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις πάσαις διατάσσομαι. Sic & quando i. Cor. xi, 34. confertur cum v. 18. legimus, Virum Divinum dicere,



cere, ἀνέῳ χισματα ἐν ὑμῖν ὑπάρχειν, circa celebrationem scil. cœnæ Dominicæ. Hæc autem χισματα, quamvis per litteras, & solidam instructionem tollere, nisus fuerat, tamen v. 24. inquit, τὰ δὲ λοιπὰ, quæ scil. per litteras monere non potui, vobis autem scitu & observatu valde necessaria sunt, οἷς τὸν ἔλαφὸν διατάξουσι, quibus innuit, se nihil silentio præterire, sed omnia distincte & ordinate tradere velle, ut cœnam Dominicam secundum illam, quam Dominus fecit dispositionem, dige semper, administrare queant. Lex itaque, si Judæis data esse dicitur: εἰς διατάγας αὐγγέλων, sive διατάγεις δι αὐγγέλων: significatur quoque angelos ordine legem concepisse ac repetiisse, inque eadem διατάξη, inter res & personas, quæ lex illa pro objecto habet, sollicite observasse. Cornelius a Lapide i) hanc quidem διατάξην, potissimum in forma legis externa observatam esse putat: quando ad verba illa, *in dispositione angelorum*, hæc notat. *Quia angeli recte ordine legem disponentes Moysi tradiderunt, nam (i) Exod. XX. tradiderunt legem Naturalem Decalogum. Leges judiciales Cap. XXI. XXII. Leges cærimoniales, Cap. XXV. seqq.* Et ut in sequentibus habet. Significat hæc scil. dispositio distributionem legum in tres classes, quæ quoquo-versum, disponebant & formabant vitam moresque Ebræorum. Propter quam disquisitionem, audaciæ, (im-merito tamen, quamvis rem acu non tetigerit) a Quenstedio k) adclusatus est. Vtpote qui-arbitratur: tacente scriptura, nostrum non esse curiose inquirere, qualia mihi serua præstiterint Angeli, aut quæ fuerint eorum διατάγαι. Cum vero scriptura nos doceat, Judæos legem accepisse εἰς διατάγας αὐγγέλων, nosque præterea, legem illam adhuc habeamus, quid obstat quominus ex dispositione, quam in ea-

i) Comment. ad Act. VII, 53.

k) Theol. Didact. Pol. T. II. c. I. Sect. I. p. 932.



eadem advertimus , eruere & definire , quænam eorum circa legem fuerint *diatœxiæ*, operam demus ? Ex ipsa itaque lege adparet , quod *diatœxiæ* instituerint (1) inter res ipsas : nam nunquam quid pro quo (ut more consueto loqui liceat) mandarunt aut prohibuerunt , sed quæcumque constituerunt, ad promovendam gentis Israeliticæ salutem, apta & concinna sunt, siquidem nihil in illa jussum est, quod non moraliter honestum ; nihilque prohibitum, quod non moraliter turpe, etiamsi nulla lex positiva adeset, futurum esset, propter convenientiam exactam , cum sana ratione quæ in illis deprehenditur. Leges rituales, quamyis hic excipi debeant , quia de illis ex jure naturæ nulla ratio reddi potest : tamen rationi neque repugnant, neque absurdæ sunt , sed ita dispositæ , ut Christus ejus passio & mors per illas aptissime adumbraretur Coloff. II, 16. 17. (2) *diatœxiæ* fecerunt inter personas, quibus præcepérunt, etenim, non omnes leges, omnibus hominibus, observandas dederunt ; sed alias condiderunt, quæ obligant omnes homines, quas reperimus in lege morali, alias quæ obligant aliquos tantum , pro diversitate status, & officiorum, e. g. in lege ecclesiastica, aliis legibus sacerdotes & levitæ, aliis autem, reliquo populus obstrictus erat, quæ docebant, quomodo Deum partim cultu ordinario, partim extraordinario prosequi debebant. Lex forensis primario judices concernebat, ut ipsis norma esset justitiam rite administrandi ; secundario populum, ut partim tales actiones fugeret quibus pœnæ comminatae sunt, partim ut is qui pœnis adficiendus erat, inde cognosceret, sibi a judice nullam injuriam inferri. (3) *diatœxiæ* quoque fecerunt inter pœnas quas constituerunt, quæ non sunt crudeles & tyrannicæ , & delictis graviores, sed qualitati vitiorum proportionatae, hinc alia peccata, bonis, a-



lia corpore, alia autem vita, erant luenda. Si vero additur, Judæos, legem accepisse: ΕΙΣ διατάγας ἀγγέλων: hoc nobis indicare videtur; quod Judæi legem acceperint, juxta, seu secundum illam dispositionem, quam angeli in eadem fecerunt, ita ut soli angeli, legis canones condirent, & quæ agenda & omittenda proposuerint. Nam τὸ ἐις h. loco, per *juxta*, vel *secundum* vertendum est, cum non satis pateat, qualis sensus sit futurus, si per *in* illud transponatur. Admitti etiam posset Lutheri versio, qui loco τὸ ἐις, dixit, posuit, si modo vox διατάγην alio vocabulo germanico, magis speciali, quam Geschäft, expressa esset, vox autem germanica quæ Gal. iii, 19. offenditur gestellet, nostram potius sententiam propugnare videtur. Si itaque τὸ ἐις per *juxta* vel *secundum* redditur, mens Stephani, multo clarius exprimitur. Quod etiam oecumenivm l) cognovisse credimus: quando verba illa: 'Εἰς διατάγας ἀγγέλων explicavit, πατὴ τὰς διατάγας, παθῶς ἐκεῖνοι διετάξαντο, τῷ Μουσῆι ὁρθέντες ἐν τῇ Βότῳ, καὶ ἐν τῷ ὄρει. Secundum dispositiones, quemadmodum illi statuerant, Mosi adparentes in rubo & monte. Nec est quod putes auctoritati Divinæ nimium derogari: si tam late hanc διατάξιν extendamus, quod lex eum in modum sit, ab angelis, concepta & disposita, ac illam promulgatam habemus. Deus tamen manet auctor legis, quia non tantum ejus iussu suas, de constituta lege sententias, angeli proposuerunt, sed & quæcunque in lege constituta sunt, a Deo omnem vim habent, & auctoritatem, ex inventione, & dispositione, tumque etiam e confirmatione & promulgatione Divina resultantem.

§. XVI.

l) Comment. in acta Apost. Cap. VII.



## § XVI.

Hic autem quæstio moveri posset ; ex quo fundamento , Angeli , leges , voluntati Divinæ adeo conformes , & comprobatas , desumserint ? omnes enim leges , certum aliquod principium , ex quo deducantur , habeant , necesse est . Et varia sunt fundamenta , ex quibus homines , leges felicitatem subditorum promovendas , derivare solent . Cicero in libris de officiis , & multi alii cum ipso , leges ex *decoro & honesto* , deduxit . Puffendorffius & qui ab eo profecti sunt , fundamentum omnium legum *socialitatem* constituunt . Qui de nostro quidem judicio , (quod pace eorum qui secus sentiunt , & magni nominis & gloriæ sunt ferre liceat) tutissime procedunt . Nam Homo ad socialitatem conditus est Gen. II, 18. In societate semper vivit , per leges autem actiones hominum sunt moderandæ atque dirigendæ , ideoque , ita moderari atque dirigi debent , ut inter homines servetur socialitas . Quod principium , deductioni omnium officiorum , quæ lex quædam , ab hominibus requirere potest sufficiens est . Et quamvis alii aliud legum fundamentum constituant , novum tamen non est , sed specialius aliquod , ex hoc generaliori fluens . Ejusmodi fundamentis , homines in condendis legibus necessario uti debent , ut secundum illa tanquam normam examinent , quæ justa & licita sint nec ne , quia tantæ mentis perspicaciæ non sunt , ut sine illis , quæ aut agenda aut omittenda cognoscere queant . Nostrí autem legislatores angeli , ex longe alio fundamento , leges suas depromserunt . Ex lege scil . Divina immutabili & æterna , ex qua reale inter bonum & malum , justum & injustum , honestum & in honestum , discrimin cognoverunt . Cum enim in hominibus detur facultas , per ratiocinia justum determinare atque cognoscere : quis du-

F 2

bitet,



bitet, Deum uno simplicissimo & indiviso actu, quæ justa aut injusta sunt non cognoscere, quam cognitionem æque tute, tanquam legem æternam & immutabilem considerare possumus, ac cognitionem illam naturalem, quam de justo & injusto in hominibus deprehendimus, legem naturalem, seu jus naturæ vocare solemus. Modum quidem determinare, & rationem monstrare, qua Angeli hanc quæ in Deo est legem cognoscere, indeque agenda & omittenda depromere potuerint, defectus revelationis, & mentis nostræ imbecillitas non permittit. Hoc autem fundamentum, angelis, leges constitutas, vere subministrasse, a posteriori colligere licet. Deus enim in tempore nihil agit, quod non ab æterno agere decreverit, consequenter, omnes illæ leges, in Deo ab æterno jam fuerunt reconditæ. Quoniam autem supra demonstratum est, angelos etiam hujus legis canones, concepisse atque edisse; ex ipsa lege æterna & immutabili quæ in Deo est, eos desumptos esse necesse est, præsertim cum a Deo quoque Angelis tota hæc Oeconomia per Revelationem communicata, ut supra § xi. indicatum est, quia alias Divinæ voluntati neque conformes esse, neque a Deo promulgari potuissent.

### § XVII.

Vltimum quod in hac pertractione nobis discutiendum venit, sunt fata, quæ lex Divina apud Judæos subiit: hæcque Stephanus brevissime recensuit his verbis καὶ ἐκ ἐφυλάξατε. Φυλάσσειν custodire significare inter omnes constat, si vero illis fides habenda est quibus τὸ φυλάσσειν idem est, quod πυλάσσειν, significat rem quandam sollicitate custodire, si res quædam portis & vectibus circumvallatur, ut a nemine auferri queat; quem significatum vox φυλακὴ itidem tradere videtur, quæ tales locum deno-



denotat, ubi non tantum illi, qui eo conjecti sunt, compedibus impediti, portis reclusis, sed &, excubiis custoditi a fuga arcentur, ut semper in potestate Domini qui eos sollicite voluit custodiri maneant. Adparet autem inde, quod hac ratione, res corporeæ tantum custodiri queant. Si itaque Protomartyr inquit, Judæos legem non custodivisse, loquutio hæc metaphorica est, nam lex proprie custodiri nequit, nisi eam materialiter, seu quatenus litteris comprehensa est, quatenus librum legis denotat spectare velimus. Hoc sensu autem legis vox h. I. non æque sumitur, nam librum legis, judæi plerumque custodiverunt, cum tam in templo, quam in archivo Regio reservaretur, unde semper si status reipublicæ, satis diu depravatus erat, tanquam ex tenebris in lucem prodidit. Hinc, si Stephanus inquit, legem, judæos non servasse, legem formaliter intelligit, seu id quod in lege aut mandatur aut prohibetur. Hoc modo legem probe custodi-re poterant, partim incorde, cui eam tanquam thesaurum prætiosissimum Ps. CXIX, 72. includere poterant, haud se-fecus ac si valor legis memoriae eorum in culcatus esset, ut in rebus dubiis inde semper consilia petere possent, quæ custodia ipsis demandata erat Deut. VI, 6. seq. Partim eam custodire poterant, in actionibus suis, quando scil. totam vitam, omnesque actiones præscripto legis confor-marent, nihil faciendo, quod in lege prohibitum, nihilque omittendo, quod in ea exequi jussum erat, id quod pro-prie significat legem servare, seu ut Lutherus vocem φυλακται reddidit, und habt es nicht gehalten. Hac ratione si legem servare judæi volebant, dicunt quidem Exod. xix, 8, omnia quæcumque Dominus loquuntus est, faciemus & Cap. xx, 19. obediemus; tamen Stephanus dicit quod legem non servaverint. Quibus innuit, quod memoriam eorum quæ



lex requirebat, ex corde proscriberint, unde deinceps factum, quod in omnibus actionibus legem violaverint cum gentilibus, & ad idolatriam & luxum ducentibus commutaverint: atque sic, multivariis transgressionibus, quarum in antecedentibus non nullas recensuerat, totam quantum irritam reddiderint.

## § XIX.

Hæc, quam Stephanus in prævaricationes Judæorum in legem testificatus est indignatio: viam pandit ad indagandum, num Judæos redarguerit, quod legi exactam & perfectam obedientiam non præstiterint, seu quod idem est, quod legem plene perfecteque non impleverint? Hæc autem Stephani mens fuisse non potuit, quia ejusmodi exactam legi obedientiam nemo præstare potest, dum non modo, peccata externa & crassa, sed & peccata subtilia & interna prohibet, & teste Christo Matth. V. & alibi, omnino latius se extendit, ac Judæi quidem arbitrabantur, unde impossibile est, ab ullo mortalium, in eo quo jam versamur statu, illam posse impleri. Quamobrem PAVLVS multis in locis recte monet, per legem, neminem salvari, cuius effati, nulla alia ratio est, quam quod nemo, legem implere potest. Hinc si reprehendere voluisset Judæos, quod perfectam legi obedientiam, denegaverint, non dicere potuisset, & non custodivisti: vos scil. sed & non custodivimus; Nos scil. quotquot nostrum sumus. Nam & ipse homo erat, qui peccato similiter ac reliqui infectus erat, nec adeo tantæ virtutis erat, ut omnia peccata evitare potuisset. Præterea nulla alia peccata ab eo magis reprehensa, quam quæ ipse in antecedentibus enumeraverat, hæc autem erant peccata quæ dici solent præretica, quæ ita comparata sunt, ut tam a Judæis quam aliis hominibus probe evitari potuissent. Tamen autem illis  
judæi



judæi multis modis sese contaminarunt, & dura quasi cer-  
vice Spiritui S. reluctando, ab illis officiis quæ lex requi-  
rebat, recesserunt, & in observatione τῶν πατροπαραδότων  
sanctimoniam quandam posuerunt; quam hypocrisim Ser-  
vator, sua Epicrisi Matth. XXIII. acriter perstringit. Et  
propter hæc proæretica peccata, non æque propter pecca-  
ta imbecillitatis, judæi a Stephano injuriæ in legem ad-  
cusantur. Et quidem non immerito. Ipse enim calum-  
niam blasphemiae in legem, ab inimicis suis impositam  
ferre debebat: Cap. VI, 11. 13. cum itaque Pontifex maxi-  
mus in Sy nedrio rogaret, an vera eadem essent, quorum  
adclusus erat, in oratione sua Apologetica quam Cap.  
VII. exorditur, demostrat: omnia illa a vero plane ab-  
horrere, quod ex historia, quam de origine legis, toto Cap.  
vii. ipsis tradit, demonstrat. Ex quibus vult concludi, se le-  
gis Divinæ cavillatorem non esse, sed tantam legis apud  
se esse auctoritatem, ut eam ab omnibus sollicite obser-  
vandam fuisse judicet, ipsos autem judæos, legis tantam  
venerationem jactantes, seque tanquam blasphemiam in  
legem commisisset, in jus vocantes: illos esse, quibus nihil  
minus, quam legis solers custodia curæ fuisset, quod vel  
exinde pateret, quod legem, ne secundum litteram qui-  
dem complevissent, sed nefandissima scelera contra ean-  
dem suscepissent.

### §. XIX.

Quoniā autem ne Stephanus quidem, perfectam  
a Judæis requisivit, legis impletionem seu custodiā:  
perverse agunt illi, qui non modo arbitrantur, posse le-  
gem Divinam a regenito plene perfecteque impleri, sed  
& in omnibus sermonibus sacrīs, ad perfectam legis obe-  
dientiam, sub comminatione omnium maledictorum,  
quæ transgressoribus legis imminent, auditores suos vo-  
cant,



cant, & doctrinam salutarem de ineffabili Dei misericordia, & universali Christi merito, plane postponunt. Laudem quidem meretur zelus eorum, pro pietate & bonis moribus : verum ejusmodi mediis, ad hæc obtainenda uti quæ maxima pericula comitantur, & a Deo non tradita sunt, adprobari nequit. Tacebimus jam, phrasin illam, legem implere, valde inadæquatam esse : hic tantum monebimus, meritum bonorum operum per eam introduci, & desperationis multorum hominum esse causam. Si enim imperiti audiunt opera quæ lex præcipit sollicite esse sectanda, si audiunt, sine illis neminem posse salvari, si audiunt, maximarum pœnarum reos esse, qui opera ista aversantur, non possunt non credere, omnem ab operibus pendere salutem, unde fit ut Christum ejusque meritum floccipendant, & omnem salutem ab operibus suis sperent, quod tamen repugnat doctrinæ evangelicæ, quæ testatur, non ex merito sed gratia, non propter opera sed meritum Christi, vera fide adprehensum, homines salvari Rom. III, 23-28. Et quoniam nemo legem potest implere ut §. præced. monitum est, homines autem sine legis impletione non posse salvari docetur : illi quorum conscientia imbecillis est, submittendo actiones suas, sollicitæ explorationi, de omni salute plane desperare debent, dum conscientia optime dictitat, quoties legem non impleverint, intellectus autem, nullam viam, obtinendi salutem, docet, quoniam ipsis via a Deo præscripta, non modo nunquam monstrata, sed per dogma tale venenum alens penitus reclusa est. Præterea : tali ratione pietatem propagare, & studium bonorum morum introducere velle, adversatur doctrinæ Evangelicæ in N. T. patefactæ. Nam Christus non jussit legem, sed Evangelium prædicare, Marc. XVI, 15. quod mandatum Apostoli nunquam de-



deposituerunt. Quæsti enim, qua ratione salus æterna sit impetranda, hoc vel illud secundum legis præscriptum esse faciendum, nullibi monent, sed pœnitentiam, & fidem in Christum profitendam esse, Acto. II, 37. 38. xvi, 29. 30. Nec usquam legem ex professo tractarunt, sed siquas doctrinas, cum lege morali connexas proposuerunt, non ex maledicto legis, sed ex intimis evangelii visceribus, ad movendum gratitudinis affectum, erga ineffabilem gratiam in Christo exhibitam, easdem deduxerunt, vid. Tit. II, ii. seqq. Ex his autem jam patebit, sententiam nostram eo non redire, quod christiani ad mores a Deo præscriptos, plane non sint arcendi: sed tantum rejicimus modum, quo hoc a multis fieri solet. Injustum esse ducimus, legem evangelio anteferre, & ex illa obligationem ad mores, unice deducere. Evangelium prædicandum, & ex illo, quæ hominum fit ad pios mores obligatio, indicandum est, ut Apostoli in omnibus Epistolis exemplo suo nobis præludent. Obvertitur quidem hanc methodum, securitati hominum viam parare, ut fiduciam in gratia Divina & Christi merito collocantes, semper pergent peccare: ideoque aliam eligendam esse, quæ homines tanquam capistratos a peccatis arceret, hic autem nos respondemus: ad desperationem hanc ducere. Si itaque unum incommodorum necessario est eligendum, id quod minimum, & quod a Deo præscriptum est, ut eligatur æquitatis esse censemus. Hoc autem est adnuntiatio Evangelii. Quamvis enim multi eadem abutantur, in agone adhuc peccata agnoscere queunt, & de gratia Dei erga se jam persuasi, fiduciam suam in eadem collocare, omniumque peccatorum veniam impetrare. Multo gravius autem est, illos qui semper legem tractare au-

G

dive-

diverunt, si morti propinquai sunt, & desperare incipiunt, de gratia Dei convincere, semper enim secum reputabunt, aut falsum esse, quod studium operum legis ad salutem adeo necessarium sit, aut falsum esse quod per gratiam Dei, sine operibus adhuc salvi fieri queant. Priori autem eo facilius fidem denegant; quo saepius, ad studium operum legis excitati sunt, & quo magis haec cogitationes a Satana sustentantur, unde fit ut de gratia Divina & merito Christi persuaderi nequeant, sed in desperatione, & peccatis suis decedant. Quamobrem haec doctrina merito aversanda est, & quicunque mores Christianis observandi sunt, non ex lege sola, remoto evangelio, sed utraque parte invicem juncta, sunt demonstrandi. Tunc enim fiet, ut homines moribus quos Deus requirit, lubentes se subjiciant, legem custodian, & quantum ad eam adhuc obligati sunt, omnem obedientiam praestare adlaborent. Cogimus enim hypocritas, sed Christianos libere educamus.



VIRO NOBILISSIMO  
D N. H E I S I O

DISPV TATIONIS HVJVS AVTORI AC RESPONDENTI  
DOCTISSIMO  
S. P. D.

P R A E S E S.

Quam mihi ante tempus aliquod obtulisti, proprio Marte abs te elaboratam, doctrinamque eximiam spondentem de materiâ admodum ambiguâ Disputationem, non possum, quin publicè iterum approbem atque his literis meis obsignem. Nihil est, quod in eâ mutandum esse, arbitrarer, præterquam quod modum distinctius nonnulla, & ipsam præcipue sententiam tuam hac de re exprimendi, concernit. Cernimus enim hic opinionum divortia, ultrà quas vix quicquam occurrit, quod majorem preferat certitudinem. Amplector tamen, quod sentis, amplector argumenta certâ sub conditione, & ad corroborandum hæc addo adhuc testimonium Theologi præcipue autoritatis CALOVII, qui ita ad Deut. XXXIII, 2. 3. in Bibl. Illustr. *Recte Coccejus observat* §. 6. 1559. *Apostolum legem datam Gal. III, 19. (addit etiam Ebr. II, 2.)* Stephanum

*Act.*



*Act. VII, 13. intelligere, Angelis testibus ---* Et approbatoribus ac futuris vindicibus, datam esse legem, quod etiam Moses attestatur, adeoque non respicere ipsos ad Angelum, qui Moysi locutus est, sed ad myriades, a quibus in medium processisse dicitur, is, qui locutus est. Quae si locum obtinent, meritò quærimus, quo pacto testimonia ista vel approbationem declaraverint. Nam ex Hebr. II, 2. locutos esse de Lege, disertè constat. BRAVNIVS ergò breviter ad hunc locum, atque ita cum præcedentibus conciliari poterit. Scilicet quod Angelos primò edocuerit Deus de totâ Lege. Deinde iussisse, ut Angeli eam docerent Mosen, Et ut Moses eam scriptis suis consignaret. Hic modus est, quem & in Novo Testamento observavit, ubi Christum ipsum, summum Evangelii præconem, secuti sunt Nativitatis & Officii, ac denique Resurrectionis & Ascensionis Angeli testes. Hæc, quæso, porrò meditare, & in sententiâ tuâ persiste. Cetera mæte virtute & eruditione tuâ, ut sis decus familiæ, Ecclesiæ fulcrum, & Academiæ nostræ alumnus laudabilis. Vale. Scribebam Helmstädi d. X. April. Anno Christi  
MDCCXXXVIII,



EO.-Beg. 2002

01 A 6727

ULB Halle  
003 104 745

3



WA

R. ho



DIS




si quælibet doctrina suo loco ad decalogum a prudenti doctore referatur.

§. 38. De cætero, unum adhuc restat monendum, nempe cognitionem harum rerum omnium tam sufficientem, quam accuratam imo & eruditam nihil profuturam, si in voluntate adsit repugnantia. Hic ergo diligentia & dexteritate catechetæ opus est, ut omnem a parte sui impendat operam, ne hæc solum auribus, sed & cordibus auditorum data sint, & ad praxin in tota vita referantur. Non equidem hoc in viribus nostris situm est, sed gratia spiritus S. ad hoc requiritur, monente Apostolo 2. Corinth. III, 5. Phil. II, 13. Ephes. III, 16. Interim tamen hoc a parte catechetæ requirimus, ut absoluta hac vel illa doctrina seriam addat admonitionem ad applicanda sibi hæcce, ut adeo aculeus in animis auditorum suorum relinquatur, quæ omnia prudentia catechetæ moderanda erunt. Plura equidem hoc negotium concernentia addi possent, sed vetat illud & paginarum præscripta angustia & instituti nostri ratio. Committimus ergo DEI benedictioni hoc nostrum institutum, & petimus ab illo, ut nos in veritate sua conservet.

Verbum ejus veritas est!

Θεος δόξα.



13

DE  
LEGE PER ANGELOS  
DISPOSITA

AD  
ACTOR. VII. v. 53.

PRAESIDE  
VIRO MAGNIFICO  
JONA CONR. SCHRAMMIO  
SAC. S. THEOL. D. EJVSD. PROF. P. ORD. FACVLT. SVÆ SEN.  
ET H. T. VICERECTORE

PATRONO SVO  
ÆTATEM COLENDO  
D. XII. APR. A. O. R. MDCCXXXIX.

IN IVLEO MAIORI

B.I.G.

